

No. 789. 1405. 16. Dec.

*B. Thimo belegt mehrere Prälaten des Hochstifts wegen unentschuldigtem Ausbleibens bei der Diöcesunsynode mit der Excommunication.*

Thimo dei et apostolicae sedis gratia episcopus Misnensis honorabilibus et discretis viris, dominis abbatibus praepositis<sup>1)</sup> decanis archidiaconis cantoribus custodibus thesaurariis commendatoribus plebanis viceplebanis presbyteris curatis<sup>2)</sup> et non curatis ac quorumcunque divinorum cappellarum altariumque rectoribus clericis et tabellionibus universis, cuiuscunque dignitatis praeeminentiae status gradus ordinis aut conditionis fuerint, ad quos praesentes pervenerint vel qui praesentibus fuerint requisiti, salutem in domino. Quia dudum per certi tenoris literas et processus nostros monuimus et moneri fecimus canonice et peremptorie dominos Wenczeslaum Knobelouch praepositum, Johannem Potzte decanum, Ortwinum abbatem et archidiaconum Kemnicensem, Waltherum de Kokeritz archidiaconum Lusaciae, Caspar de Schoneberg praepositum Wurczinensem et Sachariam Sluter praepositum Haynensem praetensos in ecclesia nostra Misnensi pro eo et ex eo, quod a sancta synodo in dicta ecclesia nostra Misnensi<sup>3)</sup>, clero ibidem ad eandem congregato novissime iuxta ecclesiae nostrae consuetudinem celebrata, cui de iure et consuetudine interesse debuerunt, se contumaciter absentaverunt et interesse contempserunt, quatenus super dicta sua absentia synodi se per rationes et causas licitas, si quas haberent aut sibi competere praetenderent, coram nobis excusarent et huiusmodi causas allegare et proponere curarent, et super huiusmodi sua rebellione et inobedientia a nobis poenam<sup>4)</sup> susciperent salutarem infra terminum monitionis<sup>5)</sup> competentem dictis iuris processibus contentum et limitatum, ex superhabundanti quamvis in genere universaliter, prout consuetum fuerat et solitum absentes synodi, qui de iure vel consuetudine interesse deberent et tenerentur, iidem moniti et requisiti fuerint<sup>6)</sup>, ut infra unius mensis spatium super transgressione se excusarent per causas rationabiles et licitas aut poenitentiam condignam reciperent salutarem ex ratione latae sententiae post dicti mensis pro canonica monitione praefiniti decursum sub poena, alioquin in praefatos specificice et nominatim monitos excommunicationis sententias promulgaremus, prout etiam promulgamus eisdem in scriptis praedictis. Tamen ecclesiae nostrae praelati praetensi post dicti mensis spatium a celebratione synodi praefatae continue computandum, in termino peremptorio ex superhabundanti de novo ipsis et eorum cuilibet praefixo et statuto iuxta liberae requisitionis et monitionis nostrae exigentiam, nec super dicta absentia sua a synodo praefata causas rationabiles et legitimas coram nobis allegare, qua eos excusare ab inobedientia<sup>7)</sup> et rebellione manifesta debuerunt aut potuerunt, nec per satisfactionem et salutaris poenitentiae susceptionem se emendare curaverunt, sed verius his non contenti et quod quidam eorum tempore dictae synodi in despectum nostrum frivole et quadam super-

1) praepositis fehlt bei Gr. 2) curatoribus Gr. u. Kr. 3) pro eo — Misnensi fehlt bei Gr. 4) primam Gr. u. Kr. 5) monitionem Gr. u. Kr. 6) fuerint fehlt bei Gr. 7) obedientia Gr. u. Kr.